Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1257
Quelle:
Copyright:

fuit in adam, si contrahit maculam originalem, non ita vehementer ammirandum est, anima uero, que ab optimo factore deo facta est, de corrupta non descendens massa, nec ex dispositione sua corpus illud, cui unitur, amare presumens, sed ex uoluntate creatoris sui, ubi ab ipso posita est, ibi obedientiam suam seruans mirum uidetur, quare damnari debeat. Expensis ultro citroque omnibus concluditur: *Illud pro certo affirmare possumus, quod leuissime anima punietur, si ante baptismum a corpore separatur. Quod si baptismum susceperit puer, mundatus est.* 3) post Articulum quendam penitus extritum exponitur Significatus biblicus verbi *Percussio* ita: *Percussionis diuersa genera sunt. Alia namque est percussio, qua peccator percutitur, ut sine retractatione puniatur* &c.

VII. *fol.* 107. *In christi nomine Incipiunt omelie sancti gregorij pape. In extremam partem ezechielis prophete. Omelia prima.* Videlicet, si post *Homiliam* XII. novum *Librum* II. auspiceris, secus est *tertiadecima*, et incipit a Praef. *Quia multis curis prementibus* &c. ut edit. *Maur.* T. I. *col.* 1307. A verbis *Homil. III. col.* 1332. *Mens itaque, quae jam talis est, nullam praesentis vitae consolationem recipit*, in Codice, *fol.* 124. p. 2. transpositis locis oritur turbatio, quae non nisi cum *Homilia* VI. plene componitur. Ceterum Textus, quatenus contuli, non nisi in minutiis ab Editis abludit.

VIII. *fol.* 195. *Nicolaus de lyra super epistolam ad hebreos.* Nomen *Lyrani* jam oculatior quidam eradere coepit. Est enim *Glossa ordinaria* eo vetustior, passim *Walafrido Strabo* ejusque Magistro *Rabano Mauro* tributa, cujus initium est: *Paulus doctor egregius gentium apostolus ministerium suum volens honorare* &c. Editiones vero jam Sec. XV. coeptae.

IX. *fol.* 216. *Comentum super Boetium de consolatione.* Manus Sec. XIII. eadem cum praecedente. Init: *Boetius iste nobilissimus ciuis romanus fide catholicus extitit. qui contra nestorium et eutichen duos maximos hereticos cum non esset qui eis responderet disputauit* &c. Parum expectes ab homine, qui *Cyrillum Alexandr. Leonem M. Petrum Chrysol. Vigilium* &c. ignoravit. Multa, quae hinc inde adfert, leguntur etiam in Commentario sub *Thomae Aquin.* nomine jam Sec. XV. saepius excuso, cujus tamen editionem principem *Norimb.* per *Ant. Coburger* 1473. f. splendide curatam non viderat *Quetifus.* Notat ille T. I. p. 343. duplicem ferri *Boethii* Expositionem *Thomae* tributam, neutram tamen sibi videri Doctoris sui. Neque ego aliud dicere habeo, nisi praesentem nostram antiquitate cum utraque illa certare. Unum obiter addo: a *Bern. Pezio* in *Dissert. Isagog. T. IV. Thes. Anecdot.* p. 24. detectum esse autorem Versionis teutonicae *Boethii*, quam *Coburgerus* praedictae editioni inseruit, *M. Petrum Presb. Professum Monaste-*